



Misc. 6^m.

1,63

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36

25
L. N. 7!

VINDICIARVM

SENTENTIÆ ORTHODOXÆ:

QVOD DISSENSVS INTER SOCIOS
A. C. ET REFORMATOS IN ART.

DE COENA

SIT FUNDAMENTALIS,

DISPUTATIO POSTERIOR,

QUAM AUSPICIIS,

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,

SERENISSIMI PRINCIPIS ATQUE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECT. SAXON. HEREDIS, ETC. ETC. ETC.

PRÆSIDE

GOTTLIEB WERNSDORFIO,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. nec non Alumnorum

Elect. Ephoro,

E CATHEDRA DIVI LUTHERI,

D. XXIII. DECEMB. clō Iccc VI.

DEFENDET

M. ANDREAS SCHNEI

NUMBURGENSIS.

WITTEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

VINDICIAM
SENTENTIAE
QUOD DISSIMULANS INTER SOCIOS
A. G. ET REFORMATORUM IN ART.
DE CORINA

SIT FUNDAMENTALIS
DISPUTATIO POSTERIOR
QUAM AUSTRALIS
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMAE
UNIVERSITATIS HALLENSENSIS
DR. FRIDERICH AUGUSTI
LECTORIS SAXONICAE HEREDITARIAE

GOTTLEB WERZDORF
P. 1. 1774
Dr. Theol. D. & Phil. Hal. non. Alumnus
Haldensleben
F. Cantor. Div. Scholae
D. XXII. Decembris 1774

M. ANDREAS BOCK
HALLENSIS

HALLENSIS, PUBLI. GERDIAVIS



§. I.



Quod omnis, de dissensu, inter Nos & Reformatos, in Art. de Cœna fundamentali, controversia, ad duo præcipue capita debeat revocari, alterum quidem de quæstionis statu, alterum de controversiæ momento, id vero sub initium superioris Dissertationis monuimus. Postquam igitur in eadem illa evicimus, quod non modo super *Manducatione Orali, ac Indignorum*, quod *Strimesio* est persuasum, sed & de ipsa *vera, reali, & substantiali presentia C. & S. C.* in S. Cœna, & *Sacramentali*, quam sic dicimus, earundem *unionem, juxta & manducationem* Nobis parum cum Reformatis conveniat; restat, ut dissensum hunc fundamentum fidei lædere idoneis rationibus demonstremus.

§. II. Nolim autem repetere hoc loco, quæ de diverso considerandi modo, & inde oriunda divisione fundamenti fidei, cum alias, tum maxime in *judicio de Tradatulo Strimesiano* germ. p. 14. seqv. edisserui. Generatum fundamentum fidei est *complexus Articulorum ad salutem cognitu necessariorum*. Quæ ipsa vero *necessitas* ad salutem uti alia *absoluta* est, alia *secundum quid*, & restricta; sic fundamentale nunc id dicitur, sine quo quis *simpliciter*, & in nullo unquam casu salvari potest, quo pacto doctrina de DEO & CHRISTO est necessaria *Job. XVII. 3.* nunc id, quod a DEO in Scripturis *ob salutem nostram* perspicue patefactum, & ut a nobis observetur, mandatum, eaque de causa scitu vel creditu *secundum quid* (extra casum nempe moralis impossibilitatis,) necessarium est. Ad hanc classem revocamus capita de Baptismo

prifino & Cœna Domini, falva, quæ inter utriusque ne-
ceffitatem intercedit, differentia graduâli. Sunt enim
omnium confenfione inffituta a DEO, cum adjuncta
promiffione gratiæ, fi iisdem digne utamur. Quoties
autem Sacramenta a CHRISTO dicimus *inffituta*, toties
fatemur, eadem nobis *sub jactura falutis imperata* fuiffe,
quia CHRISTUS nihil fruftraneum aut otiofum inffituit.
Quapropter non eft in hominum voluntate & arbitrio
eos Servatoris mandata: *Editæ, bibite, baptifate*. Horum
igitur ut *praxis & obfervatio*; fic *cognitio* quoque & *doctrina*,
eft neceffaria, cum hanc illa dirigat, fupponat, ac fun-
det. Ipfe etiam Apoftolus non folum doctrinam de Cœ-
na folide, & copiofe propofuit, fed & diffidia circa eam
enata, maxime, cum pro vulgari quodam epulo habere-
tur nonnullis, *hereses* vocare non dubitavit, permiffas a
DEO, quo probarentur *γυνήσιο* 1. Cor. XI, 19.

§. III. Deinceps nemo non mihi dederit, quod nec
gratia DEI, nec *media*, quibus hæc applicatur, a funda-
mento falutis fint excludenda. *Perfpectum enim explora-
tumque eft, DEUM non agere cum hominibus absque mediis
ad finem perducentibus*, dicit Calixtus in *Diff. de Prædeft.*
§. 9. Media vero illa ex parte *DEI* funt *Verbum & Sacra-
menta*, quæ gratiam per CHRISTUM omnibus homi-
nibus partam non offerunt modo, fed conferunt etiam,
& obfignant. Quod ipfum de Sacramentis adeo Refor-
mati non negant, ut etiam injuriam fibi fieri putent, fi
accusentur a Nobis, quod eadem pro *inanibus & vacuis
fignis*, non autem vere *exhibitivis* habeant. Refpectu au-
tem *Noftri* medium recuperandæ gratiæ & falutis uni-
cum eft *fides*, cujus ad falutem neceffitas docetur locis
Job. III, 16. Matth. IX, 22. Marc. XVI, 16. Efa. II, 8. Ebr. XI, 6. Ad
quam

quam fidem nunc ingenerandam, nunc confirmandam, sicut Sacramenta plurimum conferunt, cum ea de causa Baptismus appelleretur *lavacrum regenerationis & renovationis Tit. III, 5.* & S. Cœna instituta sit *ad commemorationem fidelem mortis Domini 1. Cor. XI, 26.* sic vel hoc uno confici argumento potest, doctrinam de Sacramentis ad fundamentum fidei pertinere. Quin hoc ipsi agnoscere & largiri videntur Reformati, dum Articulos de Sacramentis *Catechesibus* suis inseruerunt, quibus tamen fundamenta religionis, & fidei, haud dubie sunt complexi, minime id facturi, si doctrinam de iis pro necessaria non haberent.

§. IV. Interim non omnem de Sacramentis errorem fundamentum lædere arbitramur, etiam in *mere circumstantialibus* admissum, cujusmodi fuerunt Veterum de azymo, & fermentato, vino meraco & diluto, diffidia; sed eum quo *essentialis aliqua pars* destruitur, perinde ut, in rebus fidei, non quilibet error, sed is, qui articulum quendam cogniti necessariam evertit, pro hæresi reputatur. Recte igitur, cum ipsis etiam Reformatis, hæreticorum numero inferimus *Artotyritas, & Aquarios*, quorum illi caseum in panis, hi aquam in vini locum sufficiebant, magis vero etiam *Pontificios*, quod Laicis calicem intervertunt, & sub una communicandum esse contendunt. Ut enim DEI Verbum, quod *diverov* appellamus, amittit vim suam, si vel addendo, vel detrahendo, vel male interpretando, corrumpitur; sic enervantur etiam Sacramenta, quod verbum *icarov* dicere solemus, si, contra voluntatem instituentis DEI, eorundem substantia, vel mutatur, vel, saltem, qua doctrinam, omnino removetur. Hanc igitur ut Ecclesia salvam & intemeratam conservet, non modo rei terrenæ & cœlestis, vera & realis *presentia* sed & utriusque

que, in ipso actu dispensationis, divina *conjunctio* est docenda.

§. V. Sigillatim de *Evcharistia*, quo titulo S. Cœnam Veteres ornarunt, (1.) hanc *Irenæi* sententiam tenemus, quod constat duabus rebus *terrena & Cœlesti*, quas & *Servator* ipse in verbis institutionis clare, perspicueque innuavit, & pia semper *Antiquitas* credit ac defendit. Sed & illud (2.) certum est, quod *utraque res*, vel materia, in dispensatione *adesse* debeat. Quod quidem adeo verum est, ut sagaciores *Reformati*, hac de causa, pro *qualicumque præsentia* propugnent, cum facile intelligant, hac simpliciter & absolute negata, suam *Evcharistiæ* integritatem constare non posse. Itaque *Zwinglius*, etsi spiritu vertiginis agitatus *Marpurgi* in *Colloquio* negavit, *Christum* in S. Cœna *adesse*, ut *Lutherus* in *Epist. ad Landgr.* refert T. III. *Epist. n. 121. p. 101. ed. Budd.* tamen in *expositione fidei ad. R. G.* aliud præ se tulit: *Credimus*, ait, *Christum vere esse in Cœna; imo NB. non credimus esse Domini cœnam, ubi Christus non adest.* Quæ verba *Crocii* repetit in *Comment. ad A. C. p. 140.* qui & in *Anti. Beccani P. I. contr. IX. Sect. I. p. 210. n. 7.* ipse scribit: *Reformatos non tollere carnem & sangvinem e Sacramento, sed ipsam substantiam Sacramenti esse, & verum nucleum, contendere.*

§. VI. Quod autem (3.) non sufficiat *quomodocumque adesse* materiam, sed quod omnino *realiter*, & *quoad substantiam* *adesse* debeat, ipsi denuo *Reformati* videntur concedere, dum hoc nomine graviter in *Pontificios* detonant, quod docent, *sangvinem Christi*, alteram rei *cœlestis* partem, tantum *per inanem concomitantiam*, non autem separatim, & sub peculiari vehiculo *adesse*, distribuere ac sumi.

§. VII.

§. VII. Denique (4.) cum *materia utriusque generis* non nisi *unicum* Sacramentum, ex DEI ordinatione, constituat, & DEUS non sejunctim panem & vinum, sejunctim Corpus & Sangvinem suum, sed *quæ res ipsæ*, eodem & tempore, & loco, nempe in terris, & regno gratiæ, quo spectat, dispensari voluerit, sequitur ex eo, quod, nisi utriusque intima, utut supernaturalis, & ineffabilis, & digna mysterio unio statuatur, sua Sacramentum integritas, saltem in doctrina, minime relinquatur.

§. VIII. Quibus sic disputatis patere existimamus, quod non modo errent, sed & capitaliter errent, qui Corporis & Sangvinis C. in S. C. veram & substantialem præsentiam impugnant. Hi enim, (1.) quantum in ipsis est, *Sacramentum N. T. evertunt*, & ad Veteris umbras, rerumque inania relabuntur. Bene & sapienter *L. Osiander in Admonit. ad Gallos p. 23. Qui, inquit, in Sacramentorum N. T. doctrina meras, & nudas significationes, & figuras fingunt, ii a N. T. ad Vetus, & a corpore ad umbram relabuntur, & quodammodo a Christianismo (hac quidem in parte) ad Judaïsmum redeunt. Sacramenta enim N. T. non tantum significant, sed & exhibent ea omnia, quæ verbo, quo instituta sunt, promittuntur. Imo, si hoc non esset, sequeretur, Sacramenta V. T. præstantiora fuisse Sacramentis N. T., quo argumento seculo jam XI. Lanfrancus Cantuariensis contra Berengarium feliciter usus est. (2.) Deinceps *materia cælestis est pars hujus Sacramenti nobilior, & potissimum hujus Panaceæ*, ut loquar cum vulgo, ingrediens, quasi *nucleus*, quod paulo ante ipsius *Crocii* verbis docuimus. Hanc igitur quisquis adesse negat, suaque velut doctrina removeret, is *Domini Cœnam evacuat*, iudicio *Bezae*, h. e. omnium nobilissimum intervertit, eandemque in, nescio quod, epulum vulgare transmutat.*

Exci-

Excipit ad hæc verba Strimesius p. 194. *Bezam* *ur* *uisse* *præ-*
sentiam *per* *fidem*, *qua* *negata*, *ut* *ique* *evacuetur* *Cæna*. *R.*
facile dederim, præsentiam eum statuisse hujusmodi, quæ
præter inane nomen nihil cum vera præsentia habuit
commune cum ipse *P. 1. resp. ad Acta Colloqv. Mompelg. p. 26.*
edit. Mompelgard. præsentiam *C. & S. C.* in *S. C.* colloca-
verit *in imaginatione*, ut adeo, dum illam Reformato-
rum præsentiam *imaginariam* nominavi, blasphemiam a
Strimesio infimulari non possim, quin injuria in *Bezam*
ipsum redundet. Sufficit interea, quod *præsentiam*, qua-
lem demumcunque statuerit, *ad integritatem* hujus my-
sterii requisivit, *eademque negata*, *Cœnam Domini* *evacu-*
ari *agnovit.* (3.) Rata porro & firma sententia est, quod
Cœna sine Christo, *hujusque carne & sanguine esse non possit*,
quod supra Zwinglius fatebatur. At vero, *negata C. &*
S. C. *substantiali præsentia*, *Cœna est sine Christo*, quod
ipfi quoque Helvetii assequebantur olim, eaque de cau-
sa, cum Zwinglius inciperet docere, verbis *Institutio-*
nis tropum inesse, *quidam querebantur*, *Christum sibi eripi*,
& Sacramentorum dignitatem everti, ut *Lavaterus* testatur
in *Hist. Sacram. p. 2. b.* *Negata igitur, & impugnata vera*
& substantiali præsentia C. & S. C. non datur vera *Cœna*.
(4.) Etiam si e sumptione Sacramenti multa egregiaque
bona redundant ad hominem; hæc tamen omnia *sub-*
stantialem rei cœlestis præsentiam supponunt. Quod qui-
dem *Beza* intuens reprehendebat eum, qui non modo qua-
rem, sed & verba, hoc ipsum infitari audebat, monebat-
que subinde, *ipsum quoque fundum* h. e. ipsam *C. & S. C.*
substantiam, nos possidere debere, si bonis frui veli-
mus. Atqui vero Reformati *substantialem Christi in*
S. C. præsentiam *revera non admittunt*, quod mox in
compendio ostendemus: *Fundum igitur ipsam non*
possi-

possident, & Sacramentum destruunt. Idque ex eo patet, quod (5.) ipsi Reformati contendunt, penes Pontificios non esse veram Cœnam, cum Christus non sub una, sed sub utraque specie dispensari eam voluerit. Quod si Pontificii non habent cœnam integram, quia sanguinem Christi distincto sub vehiculo non distribuunt, etsi eum non excludant, sed corpus concomitari, eoque distributo una distribui, opinentur, quanto minus illi habebunt integram, qui *utrumque* & C. & S. vere ac realiter adesse omnino infirmitur?

§. IX. Etsi autem hoc fieri a suis neget Strimesius, illudque *injuriam toti Reformatorum cœtui illatam* interpreterur, superiore tamen Dissertatione sententiæ nostræ tam certa & luculenta hinc argumenta, hinc testimonia dedimus, ut nulli non æquo justoque judici bonitatem causæ nos probaturos speremus. Quod enim Reformati nullam unquam veram, & realem, ac substantialem, præsentiam C. & S. C. crediderint nobiscum, hoc ostendimus (a.) ex *Eorundem hypothese & opinione*, qua Christum per suam in Cœlos ascensionem, *ad dexteram Patris alligatum*, suo cum Zwinglio in *Epist. ad Bilicanum*, & corpore suo tantum abesse a Cœna, quantum Cœlum distet a terra, cum *Martyre & Beza in Colloq. Possiac.* uno omnino ac mente confitentur. (b.) A *presentia divina descriptione*, quæ in *formalissimo* suo, & essentiali conceptu immediationem suppositi, seu *indistantem substantiæ divinæ ad aliam quandam substantiam adessentiam* involvit, quod denuo de Corpore Christi *Trelocatus, Crocius*, reliqui, procul ambagibus negant, & vix excusando errore, Carni Christi efficacissimam operationem sine substantiali & indistante adessentia adscribunt. (c.) Ex *imaginariæ cuiusdam & inanis presentie approbatione*. Siquidem *Crocus*

B

in

in *L. de pers. Christi c. Ubiquit p. 80.* quadruplicem tradit
 præsentiam: *representativam* nempe, in signo: *Objecti-*
vam, in mente, *effectivam*, in operatione, & *substantialem*,
 seu *realem*. E quibus *tres* priores modos in *Art. de*
Cœna locum habere concedit, postremum vero, seu
substantialem, negat. (d.) E *Sacramentorum in vacua, &*
inania signa transformatione. Negant enim, *panem & vi-*
num indistanter C. & Sangvini copulari, cum *Crocio*:
Negant elementa esse signa rerum præsentium, cum *Braunio*:
negant elementa res ipsas continere, cum *Gauterio*
 &c. (e.) E *modorum vera ac realis præsentie remotione.*
 Quicquid enim, citra æquivocationem, alteri est præ-
 sens, id vel *localiter* vel *illocaliter* adesse oportet. Quod
 utrumque cum de re cœlesti *Trelcatius* & alii denuo *claris*
 conceptisque verbis negent, omnem omnino veram
 proprièque sic dictam præsentiam remouent. (f.) E *ve-*
re-Sacramentalis communionis negatione. Siquidem ipsa
 etiam, ad quam *Strimefius* provocat, *Thoruniensis Con-*
fessio negat corporalem, seu *Corporis Christi cum elementis*
substantialibus communionem. Denique (g.) *ex aperta,*
candida & ingenua ipsorum Reformatorum Confessione, dum
 hinc *Veteres*, utpote *Calvinus*, *Altingius*, *Sedanenses*,
 alii: hinc *recentiores*, *Heidanus*, *Braunius*, *Pictetus*,
 alii, *Corporis & Sangvinis Christi non qualemcunque,*
 aut *localem*, (quippe quam *Lutheranos* non magis *cor-*
pori Christi glorificato, quam *DEO* ipsi adscribere pro-
 be norunt) sed veram, *realem & propriè dictam*, procul
 ambagibus, & *claris conceptisque verbis* infitiantur.
 Quod vel unius *Gauterii*, *Theologi Marpurgensis*, pro-
 bare testimonio possum, quod studio repetam, ne quis,
 cum *Strimefio*, illorum me *torfisse* sententias opinetur.
 Sic autem ille in *Theol. didact.* anno 1701. vulgata c. 37.
 §. 8.

§. 8. p. 504. *Corpus, inquit, Christi, quod ascendit in celos, non est his in terris in Eucharistia præsens, præsentia reali, & proprie dicta, sed NB. tantum mystica & Spirituali.* Ut adeo non Nostri in Reformatos injurii sint, quando eos veram & realem C. & S. C. præsentiam negare contendunt, sed Reformati in Nostros, dum liquidæ veritati calumniæ labem, reclamante licet conscientia, aspergunt. Quæ omnia, cum manifeste, & liquido sic se habeant, ipsius Zwinglii, Calvini, Bezae, Croci, & aliorum judicio concludimus; Reformatos Domini Cœnam evacuare, substantiam illius & nucleum tollere, & nec fundum, nec fundi fructus, h. e. nec Sacramentum, nec ex Sacramento speranda bona habere. Quod utique capitale est, & cum jactura fundamenti religionis ac fidei conjunctum.

§. X. Vidimus magni esse momenti controversiam super capite primo in Form. Conc. comprehenso, nempe de vera & reali C. & S. C. in S. C. præsentia. Idem vero ferendum nobis judicium est de altero, nempe de utriusque materiæ, terrenæ & cœlestis, Sacramentali Unione. Quia enim Corpus Christi sacramentaliter est ordinatum ad panem, & sanguis Sacramentaliter est ordinatus ad vinum, quo ex utriusque intima, utut supernaturali & ineffabili, conjunctione unum resultet Sacramentum, hinc fieri nequit, quin Sacramenti vacillet integritas, simulac istius sacratissimæ, prorsusque divinæ unionis veritas labefactatur. Quod ipsum uti a Reformatis fieri in *Dissert. I. §. VIII. & in Vind. §. XV.* pluribus argumentis testimoniisque ostendimus; sic ex negata illa ineffabili, & Sacramentali Unione, quam nervum & animam hujus mysterii merito dixeris, recte inferimus, quod ipsum Sacramentum eversum, & medium salutis, una cum fidei fundamentum, destructum sit.

§. XI. Idem non dubitamus censere de *tertio* capite controverfo, *manducatione* scilicet *Orali*, vel potius *Oraliter - Sacramentali*, in qua, si vel maxime errarent Reformati, tamen non exitialiter errare, suo in tractatulo Strimesius contendit. Docui autem contra (1.) non exigui rem esse momenti rem, in Scriptura clare perspicueque propositam, vocare in dubium, eoque sibi ipsi detrahere Servatorem. (2.) Negata orali manducatione ipsammet C. & S. C. praesentiam, & (3.) totam manducationem Sacramentalem, quæ nulla sit alia, quam oralis, simpliciter negari.

§. XII. Hic autem me non modo *ignorationis elenchi*, sed *duplicis quoque petitionis principii* postulat Adversarius. Elenchi quidem, *quia non disceptetur, utrum res magni momenti sit, rem in Scriptura clare propositam in dubium vocare, nec, num manducatio oralis magni momenti sit; sed, num data manducationis Oralis Veritate, etiam divina, eoque magni momenti, tanti ea momenti sit, ut ea negata, fundamentum religionis concutiatur, vel dogma negetur, ipsius DEI iudicio ad salutem consequendam simpliciter necessarium.*

§. XIII. Sed Adversarius, quem mihi imputat errorem, ipse committit, petendo id nimirum, quod erat in principio. Nec enim huicdum vel satis a Strimesio evictum, vel a nobis unquam admissum fuit, omne illud, & solum dogma esse fundamentale, cui necessitas ad salutem in ipso DEI verbo vel *κατά τὸ ἔχθρον*, vel *κατά τὴν διάνοιαν* fuerit adjecta. Contrarium in *Judicio Nostro de tractatulo p. 18. sq.* liquido demonstravimus. Sufficit igitur, Orale manducationem ut omnino divinitus patefactam, sic magni momenti sententiam esse, cui qui veritatem, per malitiam, detrahit, *sibi ipsi detrahit Servatorem,*

rem, ut loquitur *Hulsemannus de dogm. ad sal. cred. necess.*
n. XVI. p. m. 477. Nam si is est excludendus regno cœlo-
rum, qui vel *minimum* e DEI mandatis solverit, *Matth.*
V. 19. quanto magis, qui *totum Christi Testamentum* ever-
tit: & si illius partem de libro Vitæ se ablatum mina-
tur, qui Prophetiæ suæ quicquam detraxerit *Ap. XXII. 19.*
quanto magis illius, qui divinæ & veracitati, & omni-
potentiæ, & bonitati fidem, juxta & auctoritatem de-
traxerit? *Nonne Sacramenta sigilla sunt Evangelii? Profecto*
qui spernit ea, qua divinitus instituta sunt, apertis verbis,
necessariis de causis, & altius quid sapere sibi videtur, is ve-
hementer peccat & contra leges divinas, & contra regulam
Pauli: Si vobis vel Angelus de celo aliud Evangelium prædi-
caverit, quam Ego tradidi vobis, anathema sit, judicium est
Ministrorum Hildesienfium in Conf. fidei de Eucharistia
Magd. A. 1557. lit. M. B. Hinc ipse Illustris *Pufendorfius*, ad
quem alioqui provocat *Adversarius*, ubi hoc argumen-
tum tractat, bene ac sapienter monet: *Illud in univer-*
sum requiritur, ut ne quatecunque dogma in libris Canonicis
perspicue propositum negetur; quia dum qualiscunque veritas
ibi clare expressa impugnatur, eo ipso auctoritas Scripturae ne-
gatur, totumque adeo fidei fundamentum evertitur. Dogma
vero de Orali manducatione clare & perspicue propo-
sum est in Scriptura: Ergo Pufendorffii ipsius judicij, ci-
tra fundamenti jacturam negari nequit.

§. XIV. Hic autem postulat me (2.) duplicis pe-
titionis Principii. Primo, ait, in *questione* est quam ma-
xime, *Oralem C. C. manducationem esse doctrinam clare &*
perspicue in Scriptura propositam, quandoquidem nullibi pro-
posita legitur. Certe in Institutionis verbis hisce: Edite, hoc
est corpus meum, non clare proposita est, quam in verbis
Christi Job. VI. nisi quis comederit carnem filii hominis, non
habet

habet Vitam in se, in quibus tamen eam proponi ipsimet Lutherani insitiantur. Negat secundo, Christum de voto $\sigma\upsilon\upsilon\pi\epsilon\pi\lambda\epsilon\gamma\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma$, seu complexo ex pane & Corpore, pronuntiasse: Edite, h. e. corpus meum, cum tale complexum nunquam extiterit, nec existurum unquam sit. Locutum ergo esse de solo Pane, & quidem figurate, ut postea, cum dixit: Calix N. Testamentum est. &c.

§. XV. Nego autem (I.) in verbis institutionis Oralem manducationem non esse *clare* perspicueque propositam: nego, non *magis clare*, quam *Job. VI.* esse propositam. Probo utrumque. Prius quidem, quia exhibito pane nos iussit manducare Corpus suum. Quam vere igitur, & proprie manducari voluit *panem*, tam vere quoque & proprie manducari voluit *corpus*, median- te pane, exhibendum, quoniam *eadem* manducatio dicitur de *utroque*. Jam ut panem verum non pedibus & manibus, sed ore corporis manducandum esse, etiam non admoniti, omnes intelligunt, cum imperata actione, quæ ab uno quodam organo dependet, non opus sit organon ipsum sigillatim exprimere; sic ubi cum pane Corpus suum nos iussit manducare Servator, quin Oral- is illa, proprieque sic dicta manducatio ad ipsum quo- que corpus sit extendenda, dubium esse non potest, & si Christus organi nominatim mentionem fecisset, for- te, perinde ut nunc Lutherani, quando proprietatem sumptionis insinuat, Oralem eam dicunt, pleonasmum ali- cujus infirmus fuisset. Sed & alterum illud, nempe *Oralem manducationem in Verbis Institutionis non magis clare, quam Job. VI. fuisse traditam*, prorsus infirior. Nam apud Johannem legitur: *Corpus Christi est Panis*, siquidem dicit *c. 51. Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendit.* Uti vero panis non nisi *improprie & per similitudinem* quan- dam

dam de Christo prædicatur; ita, cum panis ille dicitur manducari, facile patet, quod non ore corporis, & proprie, sed figurate, & improprie fieri debeat. In verbis autem Institutionis non legitur: *Caro Christi est panis*: sed, *hoc est corpus meum*, vel, ut Veteres exponunt: *Panis est Corpus Christi*. Jam sicut Christus discipulis suis manducandum præbuit panem, non mysticum, & improprie dictum, ut *Job. VI, 50. sq.* sed verum, naturalem, ac proprium; sic propriam quoque & oralem illius manducationem instituit, & quoniam mediante illo suum ipsius corpus, & quidem una eademque manducatione, sumere iussit, sequitur, quod Oralis illa & propria manducatio non minus de corpore ipso, quam de pane porrecto sit intelligenda.

§. XVI. Contendit porro Strimesius: *In verbis Institutionis τὸ hoc non τὸν σωματικὸν λεγόμενον, cuius nullum exemplum datur in Scriptura, sed panem sacramentarium notare.* At vero Christus non dixit: *Edite, hoc est panis*: multo minus: *Edite, hoc est solum panis*; sed, *edite, hoc est corpus meum*. Innehit itaque manducationi suum ipsius corpus, unde panis in Cæna consecratus dicitur Κοινωνία Corporis Domini *1. Cor. X, 16.* quoniam Corpus C. cum hoc pane est objectum institutæ a Christo manducationis indivisum. Ubicunque enim particula demonstrans adhibetur ad ostendendum res unitas, eadem Subjecti loco sic ponitur, ut in prædicato exprimat illud, quod inter unita erat invisibile, & principale. Non desunt hujus generis exempla in Scripturis, etsi in eadem extare neget Strimesius. Quando enim æternus Pater de Filio clamat: *ἔτος, hic est Filius meus dilectus, Matth. III, 17.* annon torum *σωματικὸν λεγόμενον* personæ, aut *θεῖον ὄντων* notat? Aut si quis eodem tempore intuens *τὸ εἶδος τῆς περιεργίας*
Luc.

Luc. III, 22. dixisset: *τὸ*, hoc est Spiritus S. annon totum respexisset complexum? Aut si Filius afflasset Apostolos, & dixisset: Accipite, hoc est Spiritus S. *Job. XX, 22.* annon utrumque & flatum, & Spiritum comprehendisset? Et quemadmodum in his propositionibus nativa significatio retinetur; siquidem is, qui lavabatur in Jordane, *vere* erat Filius DEI, licet *non absque homine* *Mattb. XXVII, 54.* & quod super eum visibiliter descendit, *vere* fuit Spiritus S. licet *non absque columba* descendente: & quod per insufflationem dedit Servator, *vere* fuit Spiritus S. etsi *non sine vehiculo*; ita quoque in Cœna Domini retinetur nativa verborum significatio, & id, quod Christus jubet sumere, *vere* est Corpus ejus, etsi Dominus *non absque pane*, ceu symbolo quodam exhibente, & vehiculo, seipsum manducandum præbet. Nihil igitur opus est, cum Strimesio, recurrere ad figuras, ne quidem in explicatione Verborum: *hic Calix N. Testamentum est*, cum e vestigio addatur: *in meo sanguine*, quo doceatur, ideo hæc angusta appellatione ornari Calicem, quia hoc mediante non quomodocunque significetur, sed præsens exhibeatur ipsamet N. T. substantia, pretiosus nempe Domini sanguis pro nobis effusus, quo præsentem, ceu pignore quodam, sancitur fœdus Novum & confirmetur.

§. XVII. Momentum porro manducationis *Oralis* ostensurus docueram, hac negata, veram quoque & realem præsentiam negari, ipsamque adeo sumptionem Sacramentalem tolli, quippe quæ non sit aliâ, quam *Oralis*. Negat in utroque consecutionem *Strimesius*, *petitque a Spirituali manducatione instantiam, quæ, licet minime statuat Oralis, Christi tamen præsentiam, & unionem cum nobis, non modo salvam relinquat, sed & conciliet, Luberi quo-*

quoque, & Lutheranorum iudicio manducationis Sacramentalis pars sit principalis, atque præcipua, ut adeo a negatione manducationis Oralis, ad negationem vere-Sacramentalis male concluderim.

§. XIIII. Sed quod hic Strimesius in mea, id multo rectius illius in responsione desidero. Non enim, ut *sublata* manducatione *Orali* vera præsentia tollitur; sic *posita* *Spiritali* manducatione eadem stabilitur. Ratio est, quod Manducatio *Oraliter-Sacramentalis* materiæ cœlestis & terrenæ substantialem adessentiam, & utriusque unionem, *supponit*, cum nihil possit vere, & ore corporis sumi, nisi quod prius vere, & quoad substantiam sit præsens. *Spiritalis* autem manducatio non *supponit* DEI & hominis unionem, sed præcedit & *apprehendit*, siquidem Christus *per fidem* h. e. spiritualem manducationem habitat in cordibus nostris, nec unionem fides, sed fidem unio, sequitur. Instat: *Quorsum evadet Omnipræsentia Corporis Christi, quandocumque Orali manducatione seu Sacramenti Eucharistici usu abstinemus.* Sed nihil opus est ista sollicitudine, quoniam Corporis Christi veram & realem præsentiam a manducatione *Orali*, non ratione *effectivæ*, sed *illationis*, suspendimus, ita quidem, ut prout *Oralis* manducatio vel admittitur, vel non admittitur, ipsam quoque C. C. in S. C. præsentiam vel doceri vel non doceri existimemus. Urget: *Ipsa Omnipræsentia C. C. manducationi ejus i. e. receptioni C. C. in os, non uno modo inimica est. Qui enim receperis in os, quod, vi omnipræsentia sue, jam tum in ore est? & quomodo dentibus, gutturi, & stomacho, subduces, quod ita ore manducasti, ut omnibus tamen manducantis corporis partibus, eodem temporis momento, præsentissimum fuerit?* R. Nos ex negatione manducationis veræ ac oralis, negationem præsentia veræ ac realis, ob

C

ratio-

rationem paulo ante datam, inferimus: Adversarius autem a positione præsentiæ, ad positionem manducationis concludit. Quæ quam sint *ἀσβήτα* omnes intelligunt. Nam si omne, quod est præsens, hoc ipso quoque in ore est, quid fiet de summo DEO, quem ubique præsente esse, ita, ut in eodem simus, vivamus & moveamur, adeoque & manducemus, atque bibamus, negari nequit? Num hic etiam propter omnipræsentiæ, hominum dentibus, gutturi, & stomacho subdici non potest? Apage istas ineptias, quarum pudere debebat Theologum Reformatum! Hæc ad secundum.

§. XIX. Quod ad *tertium*, nunquam Lutherus, nunquam Lutheri discipuli manducationem spiritualem habuerunt *pro parte* sacramentalis manducationis, nedum pro principali, atque præcipua. *Finem & scopum* Sacramentalis manducationis, vel etiam hospitium *requisitum*, esse contendunt spiritualem manducationem, non *partem*. Apostolus enim jubet manducare & bibere Sacramentaliter, *ad commemorationem mortis Domini fiducialem*, i. e. fidei confirmationem, & manducatio Sacramentalis, qua essentiam, vera esse potest ac integra, etsi ab indignis, & sine fide, C. & S. C. sumatur. Imo vero hoc *πρωτον* Reformatorum *ἑυδός*, putamus, quod perpetuo *medium* cum *scopo*, & *Sacramentum* cum *fide* confundunt. Hoc enim pacto tota Sacramenti hujus natura destruitur, nec ulla inter mere naturalem, vere-Sacramentalem, & mere-spiritualem manducationem distinctio nobis relinquitur. Excipit quidem Strimesius: *Sacramentalem & Spiritualem hoc evidenti discrimine in perpetuum distare, ut spiritualis nuda sit, panisque manducatione destituat; Sacramentalis vero hac panis manducatione semper gaudeat, cum essentialiter competente*: Sed hoc modo toties Paterfamilias, vel
alius

alius quispiam, Sacramentaliter manducabit ac bibet, quoties sumptionem panis & vini cum commemoratione fidei mortis Christi conjunxerit. Quod, sicut in quovis cotidiano & vulgari epulo fieri potest: ita hoc uno rationem Sacramentalis manducationis & bibitionis non absolvi, sed ipsius C. & S. C. substantialiter præsentium veram & oralem participationem accedere oportere, omnes intelligunt. Perfito igitur in sententia, *Sacramentalem manducationem non dari, nisi Oralem, nec quenuquam hanc posse negare, quin simul neget illam.* Negata vero Sacramentali manducatione, negatur Sacramentum ipsum, quod citra everfionem fundamenti fidei fieri non posse supra ostendimus.

§. XX. Sed & hoc ipsum ladi a Reformatis per infitiationem *manducationis Indignorum* statuimus. Et si enim omnis de ista disputatio videri possit supervacanea, cum id potius agendum esse videatur, ne manducemus, vel bibamus indigne; tamen h. l. non tam, *quid* ab adversariis negetur, quam, *qua de causa* negetur, est attendendum. Constat autem, Reformatos non alia de causa eidem tanto se conatu opponere, quam, quia, concessa Indignorum manducatione, ipsam quoque veram proprieque sic dictam præsentiam, procul omni æquivocatione, sibi admittendam esse intelligunt. Hoc ipso igitur momentum & gravitas controversiæ innotescit, cum, hac Indignorum manducatione negata, ipsa C. & Sangvinis Christi Cœna præsentia, & quod hinc sequitur, Sacramenti ipsius integritas, destruat. Neque verò id non assequi Adversarius potuit: Itaque in ratione argumentandi ac inferendi nihil desiderat: hoc unum ferre non potest, quod præsentiam per fidem hac occasione *mere imaginariam appellavi.* Ergone, inquit p. 221. *Cl. Auctor spirituales Christi Corporisque ejus, & sangvinis presentiam,*

qua is fidelium suorum animabus, cum in Cæna S. tum extra eam præsens est - - - mere imaginariam sibi imaginatur, omnis realitatis & veritatis expertem? Ne ipse FIDEM, per quam unam Christus membris suis, & hæc Christo, arctissime uniuntur, admodum jejunam & otiosam concipit. Aut realio remne verio remque præsentiam Christi ejusque C. & S. arbitrabitur infidelibus, fidelibusque communem, quam fidelibus propriam? &c. Etsi vero non disputetur h. l. quæ & quanta fidei vis sit, de quo, quid sentiam, paulo ante exposui, meam tamen de eo denuo aperire sententiam, & C. C. in Cæna præsentiam, qualem quidem Reformati describunt, mere imaginariam & inane commentum esse, asseverare non dubito. Sive enim imaginarium sumatur pro eo, quod revera non est, sed imaginando fingitur esse, seu pro eo, quod imaginando & cogitando conciliatur, utroque modo illam C. & S. C. per fidem præsentiam imaginariam dixerim. Quanquam enim præsentia Christi penes fideles animas, extra Cænam, ratione Originis, non sit imaginaria, sed potius verissima, & realis; hæc tamen præsentia non est confundenda cum illa, quæ competit Corpori Christi in S. Cæna, quod fecit Strimesius. Nec enim hic quæritur, num Christus vel fidelibus extra Cænam, vel digne sumentibus post cænam, sed an elementis panis & vini in ipsa dispensatione Cæne, vere, & quoad substantiam sit præsens, ita, ut propterea utriusque perceptio dignis & indignis communis sit? Christus quidem, fateor, utrobique verissime ac realissime est præsens: Sed in S. C. præsentia ejus immediate terminatur ad panem & vinum, vi primæ institutionis: extra Cænam immediate ad animas fideles vi dignæ perceptionis. Illa unionem cum elementis Sacramentalem, hæc cum fidelibus mysticam, & Spiritualem importat

portat. Si quis autem Christi C. & S. fingere velit, non cum pane & vino, *qua substantiam*, sed cum fidelium animabus *per fidem* conjungi, is talem haud dubie statuit, fingitque praesentiam, quæ pro *inani commento*, nulla DEI vel ordinatione, vel promissione innixo merito reputatur. Christi enim in S. C. praesentia debet esse *vera, propria, & realis*, quod ipse contendit Strimesius. Praesentia vero *per fidem* est *impropria, & intentionalis*, talis nimirum, per quam res cogitata cogitantis animo praesens esse dicitur, non qua rem & *substantiam*, sed per *speciem*, & in imaginatione, quemadmodum Paulus Corinthiis *1. Cor. V. 3.* & Colossensibus *c. II. 5.* Talis igitur h. L. non intelligitur. Neque vero propterea fides a nobis *ut otiosum quid, & jejunum*, quod Strimesius putat, concipitur. Quin nos huic eam efficaciam libenter relinquimus, quam eidem divinior tribuit Scriptura. Sed nec major, quam divina permittit promissio, eidem est adscribenda. *Nullibi autem fides, nullibi inquam, hanc promissionem accepit, quod debeat rem caelestem in Coena cum elementis jungere, aut Corporis & S. C. praesentiam causari.* Quin hoc totum divinae voluntati, ac Omnipotentiae debetur, quæ suas expromunt vires, quoties Servatoris institutio observatur. Cumque praesentia C. & S. C. in S. C. omnium consensione *divina* sit, quis sibi persuaderi patiatur, fidei *humana* illam vim esse, ut eam efficiat? Hæc enim est organon *λήψεως* non medium *δοσεως*, adeoque *apprehendit* praesens, non *facit*, semperque rei apprehendendæ est supponenda praesentia, antequam praesentem nostra recipiat fides. Salva igitur dignitate & efficacia fidei, praesentiam C. & S. C. quam efficere dicitur in Coena, *mere imaginariam, & inane commentum* esse existimamus.

§. XXI. Sed ut ex hoc, velut diverticulo, in viam
 regrediamur, negat Strimesius, manducationem Indigno-
 rum ideo magni momenti esse, quia Paulus de illa tanto
 studio edisseruerit, cum nullibi vel vocula una indig-
 nis tribuerit manducationem Corporis C. sed dixerit:
Quisquis manducaverit ex hoc pane indigne, reus erit &c.
 Cui vero cavillationi Apostolus ipse occurrit. Non e-
 nim simpliciter loquitur de pane & calice, sed de hoc pa-
 ne, & de hoc calice, eo nimirum, quem antea ^{Korinthios}
 sanguinis Christi esse pronunciarat, adeoque non divi-
 dit Objectum, aut minus principale solum notat, sed pri-
 marium ac principale includit. Adhæc manifeste dicit:
*Qui indigne manducaverit ex hoc pane, reus erit Corporis
 Domini,* non per incredulitatem repudiati, sed, median-
 te pane, verissime accepti. Cum proinde manducatio-
 nem Indignorum diserte Reformati negent, hæc autem
 negata, vera & substantialis C. & S. C. præsentia, & utri-
 usque vere Sacramentalis unio, juxta & Oralis mandu-
 catio salva esse non possit, concludimus denuo, Sacra-
 mentum ipsum tolli, & fundamenta everti.

§. XXII. Vidimus huc usque rationes & causas,
 ob quas dissensum inter Nos & Reformatos in Art. de
 Cœna capitalem esse docuimus. Pergimus nunc ad ea,
 quæ Strimesius negante pro sententia protulit. Scripse-
 rat nimirum, (i.) *Spiritualement manducationem ut fidelibus
 propriam, sic solam salutarem esse, in eoque Lutherum &
 Zwinglium Marpurgi in Colloquio consensisse.* Negavi autem
 utrumque, nec modo, Sacramentalem quoque mandu-
 cationem salutarem esse, rationibus testimoniisque pro-
 bavi, sed & Lutherum illius necessitatem perpetuo agno-
 visse, & contra Zwinglium defendisse, ostendi. Quæ
 exceperit ad ista Strimesius, hæc malo conceptis ejus ver-
 bis

bis repetere, quam summam exprimere, ne forte factam sibi esse injuriam conqueratur, pro more. *Oralem*, inquit p. 182. manducationem C. Christi, (si qua daretur, nec a Christo nihil quicquam prodesse dicta esset Job. VI.) cum Lutheranis lubentissime salutarem agnoscerem, utpote talem nullibi a me negatam (uti tamen ex eo perperam colligit Autor §. XIII. quod istam per se solam negaverim salvificam, salvifica vere perque se, solum agnita concessaque manducatione Spirituali p. 71. id quod tamen est ipse Autor agnoverit confususque fuerit, se sic ab omni verborum, in dicto Spbo frustra consumptorum, apparatu abstinere, citra ullum causæ suæ dispendium potuisse. His verbis tota Strimesii responsio continetur. Quæ, quid sibi velit, cum vix Oedipum quendam divinatorum, vel etiam Auctorem ipsum intellecturum putem, frustra quis a me requisiverit. Hoc unum non tam interpretando, quam suspicando, assequor, largiri Adversarium velle, quod *Oralis* quoque manducatio sit *salutaris*, dummodo ea probari ex Scriptura posset, & non potius contrarium ex Job. VI. constaret. Quoniam vero Job. VI. de crassa quadam, & Capernaitica, imo *Thyesteæ* manducatione C. C. agitur, quæ ab Orali, qualem nos defendimus, toto cælo diversa est, Nos quoque veritatem hujus & fundamentum in Scripturis supra §. XV. sq. luculentis argumentis ostendimus; ipsius nunc Adversarii iudicio concludimus, quod Reformati *Oralem* manducationem in se, suaque natura salutarem negando quoddam salutis medium intercipient, & fundamentum fidei labefactent.

§. XXIII. Obverterat (II.) Strimesius, totum de *s. Cæna articulum*, non esse fundamentalem, adeoque & dissentium super eo inter Nos & Reformatos enatum. In quo ubi Eum & sibi ipsi, & Sociis, & Scriptura, & fidei analogiæ contradixisse monui, stomachosius, & tantum non

non contumeliose, respondeat. Scripsit autem suo in tractatulo Adversarius: Daß alle diejenigen und nur diejenigen wichtige / und absolut-nöthige Articuli seyn / die Gott als NB. nöthig / entweder mit klaren / ausge- druckten Worten / oder durch eine klare Folge in seinem Worte bezeichnet. Subsumpsi: Articulum de Cœna, ceu ad salutem necessarium, esse propositum in Scriptura: Adesse enim necessitatem & *mandati*, & *medii*, quæ pro- fecto necessitatem doctrinæ & cognitionis simul argu- ant, cum nec actio suscipi, nec medium applicari, sine cognitione, possit. Eum igitur fundamentalem esse. Ad- versarius, ubi se constringendum esse intellexit, id quod simpliciter de *necessario* scripserat, in *absolute necessarium* convertit. Num, inquit, *omne DEI mandatum absolute est necessarium, num omne salutis medium absolute est necessari- um*? Nihil vero nunc dicam, quam plena periculi sit hæc sententia, quam alias confutavi, quaque admitta nil ob- stat, quo minus etiam *Ariani*, *Arminiani*, *Quackeri*, & nulli non professi notoriique hæretici, ab omni errore in fun- damento sint absolvendi, cum *absoluta* illa, quæ ur- getur, *necessitas* nullibi capitibus doctrinæ salutaris tam clare perspicueque adjecta sit, quin iisdem artibus, qui- bus Reformati Testamentaria Servatoris verba detor- quent, obscurari ea, atque eludi possit. Hoc unum addo, si non nisi *absolute necessaria* dogmata fundamento fidei sint inferenda, sequi, quod omnis de *mediis salutis* doctrina numero articulorum fundamentalium sit ex- cludenda, cum constet, quosdam sine verbo externo & Sacramentis concepisse fidem, & Spiritum S. quod ex- emplo Johannis B. doceri potest. Quo pacto non modo *fanaticismus*, & *Schwefeldismus*, sed ipse etiam *atheismus* invehendus in Ecclesiam esset. Sed enim h. l. non quis sit

fit art. fundamentalium character, sed *num Strimesius sibi ipsi contradixerit*, disputatur. Ad hoc ergo probandum sufficit, quod ad articulos fundamentales non *absolutam*, sed *qualemcumque* necessitatem, suo in tractatulo requisivit Strimesius, eandem quoque articulo de S. Cœna convenire non negat, & tamen eundem e numero Artic. fundamentalium simpliciter ejicit.

§. XXIV. Addideram vero in Dissertatione non sine causa: *Pugnare secum Strimesium, quod totum Articulum de S. C. neget esse fundamentalem, & tamen hæresin de eodem concipi posse concedat*, Retinet sententiam Adversarius, eamque illustrare conatur exemplo, a doctrina de regno mille annorum petito. *Hanc enim ad fundamentum fidei me minime relaturum, & tamen Academia hujus Doctores innumeras prope hæreses ex eadem elicuisse.* Quo ipso, etsi me pungere Adversarius studet, miror tamen imprudentiam Viri, qui non meminit, illam de mille annis doctrinam, prout quidem proponitur a fanaticis, non esse *Apoc. XX.* traditam, aut diviniore sapientiæ partem, sed errorem ipsius Aug. Conf. judicio, cujus videri vult esse socius, Anabaptisticum & Judaicum, ex quo non *elicimus hæreses*, ut *Strimesius* loquitur, sed sponte propullulantes notamus ac improbamus. Articulum vero de S. C. indubitato recuperandæ salutis medio, in Scriptura S. clare, perspicue, que propositum, ab Apostolo repetitum, ac declaratum, Corinthiisque, ac Nobis ipsis summopere commendatum cum *deliriis Chiliaisticis* comparare, id vero multo potiori jure inter *sermones Theologo, & Christiana religione indignos*, quam ipse meos, de præsentia C. C. per fidem imaginaria, numerarim. Dixeris: *Interim in articulis, etiam non fundamentalibus, concipi posse hæresin negari non potest.* Sed respondetur: hæresis, omnium consensione, est error

D in

in fundamento fidei: concipi ergo, nisi de capite ad illud
pertinente, non potest. Non fundamentalia hæresi qui-
dem *concupienda* præbere aniam possunt, sed *concepta*, nisi
circa fundamentum ipsum, non occupatur. Contradixit
ergo *sibi ipsi* Strimesius, dum in Art. de S. C. hæresin pos-
se concipi admittit, & tamen *totum* articulum fundamen-
talem esse simpliciter negavit.

§. XXIV. Neque etiam (2.) id fati a se amolitur,
quod hoc in argumento, *fidei suæ sociis*, & figillatim *Neo-
stadiensibus*, contradixerit. Etsi enim pro se afferat, fas-
sum se esse, *es sey der Streit vom Abendmahl nicht ein
unnöthiges Schuel-Gezänk/ und blosser Wortkrieg zu
achten* in Tractat. p. 77. hoc ipso tamen non tam suspi-
cionem, quod fidei suæ sociis contradixerit, diluit, quam
illam, quod *secum ipso pugnet*, adauget. Si enim, quæ nobis
cum Reformatis intercedit, controversia de Cæna, non
est de lana caprina, erit utique de rebus magni momen-
ti, & *necessariis* cognitu, quod tamen ceu characterem ar-
ticulorum fundamentalium proposuit Adversarius. Neo-
stadiensium autem verba clariora sunt, quam ut iis-
dem contradixisse Strimesium negari possit. Postquam
enim multa pro sua, multa in nostram sententiam dixe-
runt, subiiciunt p. 508. ed. Hanov: *Hæc non sunt λογμαχίαι
nec de lana caprina contentio, sed de rebus maximis & NB.
fundamentis religionis disputatio est.* Fatentur igitur, de fun-
damentis religionis inter nos controverti, quod dum Stri-
mesius negat, libro Ecclesiæ suæ Symbolico contradicit.

§. XXV. Contradixit vero (3.) etiam *Scripturæ*,
quæ Baptismum *Ebr. VI, 3.* ad *θεμέλιον* Christianæ doctrinæ
retulit. Cum enim S. C. perinde Sacramentum sit, ut
Baptismus, perinde quoque, ut Baptismus, ad fundamen-
tum fidei pertinebit. Excipit Adversarius: *non licere a
Baptismo*

Baptismo ad S. Cœnam concludere, cum illum absolute esse necessarium esse ipsi fateamur: Cœnam vero absolute esse necessariam negemus. At enim Baptismus non ita necessarius dicitur ad salutem, ut absque illo salvari nemo possit. Nam & olim adultos, in Ecclesia Veteri, & hodie num infantes multos, absque Baptismo, decessisse in fidemovimus, cum contemptus Baptisini, non privatio damnet. Imo vero in adultis, quod ipsi fatentur Reformati, Baptismus non est Sacramentum initiationis, sed confirmationis, adeoque ejusdem ordinis cum Cœna. Si proinde id unum & solum fuerit fundamentale, quod ad salutem absolute est necessarium, ne Baptismus quidem fuerit ad Σεμέλιον referendum, cum sine illo quosdam salvari homines nemo dubitet. Quo ipso Adversarii hypothesi, quod absoluta necessitas articulorum fundamentalium sit character, prorsus evertitur. Et licet S. Cœna eo gradu non sit necessaria hodie, quo Baptismus, sufficit tamen, quod perinde ut Baptismus est Sacramentum, & medium salutis divinitus institutum. Ex quo capite cum Baptismus ad fundamentum pertineat, Sacram quoque Cœnam ad illud referri oportere omnes intelligunt.

§. XXVI. Quarto denique ostendi (4.) Strimesium negando totum de S. C. Articulum esse fundamentalem, analogia fidei contradicere, eamque in rem rationes, quas in Arcani R. detectione attuleram, repetii breviter, & ab adversarii cavillationibus vindicavi. Ridet me hic, initio, & vanum promissorem nominat Strimesius, quod cum initio sententiam suam cum tota fidei analogia pugnare dixerim, ea deinceps tantum attulerim, quæ cum similis S. Cœnae indole & natura videantur pugnare. Prodidit autem hoc ipso, sese non magis, quid sit analogia, quam quid sit fundamentum fidei, attendisse. Analogia enim est



perpetuus doctrinæ salutaris consensus, siquidem, ut Divus Lutherus loquitur, Fides orthodoxa est una copulativa. Nihil igitur est admittendum, quod vel cum uno, vel etiam pluribus fidei articulis, eorundemque natura pugnet, cum fieri nequeat, quin uno leso, propter consanguinitatem, ledantur omnes. Postquam igitur sententiam adversarii cum natura Testamentorum, cum effectu articulorum fidei necessario ac perpetuo, cum communionem Sanctorum, cum doctrina de manducatione Indignorum, denique cum descriptione Eucharistia piis Veteribus usitata, pugnare docui, annon hoc pacto contrariari eam analogiæ fidei perspicue ostendi? Sed infra, si per chartarum angustias licuerit, adjiciemus plura: Vindicemus nunc denuo rationes.

§. XXVII. Attuli, (I.) de bonis a Servatore nostro testamento legatis, & iis quidem magni momenti, controversiam esse. Negavit hoc ipsum Strimesius, cavens, bona Testamentaria non esse C. & S. C. sed annexas spiritali eorum sumptioni promissiones, de quibus tamen inter Nos & Reformatos nulla sit disputatio. Monui contra: Bona Testamento legata, & commoda ex eorum legitimo usu expectanda, non oportere confundi. Excipit (a.) Testamentaria bona Novi Testamenti in Scriptura Sacra illa proprie dici, qua Christi heredibus cedant: Heredes autem Christi solos esse filios Rom. VIII, 27. & tamen doceri a nobis, quod Cæna & S. C. etiam ab indignis, qui non sint filii, sumantur. Resp. Heredes non sunt ejusdem generis. Alii enim sunt heredes simpliciter in Testamento scripti: Alii vero sunt usufructuarii, ut noster Dorstheus loquitur. Illi sunt omnes per Evangelium ad regnum Christi vocati: Sic enim Christus: Bibite ex hoc omnes. Hi vero sunt, quibus non modo legata sunt bona, sed etiam usurpantur.

Quem-

Quemadmodum enim apud Romanos multi scribebantur heredes in Testamento, qui tamen hereditatem vel metu aris alieni, vel invidiæ a Testatore conflatae nunquam adibant; sic etiam omnes omnino homines, saltem voluntate DEI antecedente, scripti sunt heredes bonorum legatorum: siquidem in poculo nobis exhibetur sanguis pro multis, imò omnibus, effusus 2. Cor. V, 14. I. Tim. II, 6. Ebr. II, 9. Ebr. X, 28. Usufructuarii autem non nisi illi sunt, qui vera eam fide adeunt, & fructum ejus percipiunt. Talis intelligitur Rom. VIII, 17. idemque adeo & filius est, & heres, & Christi coheres, quia mediis salutis constanter, & legitime utentem salus destituere non potest. Excipit (b.) Nullam promissionem judicio Lutheri, adeoque nec promissionem de Corpore C. manducando, citra fidem posse obtineri, cum promissio & fides sint correlata. Resp. Initio falsum est, nullam promissionem sine fide posse obtineri, quoniam alias nec ager cum fructu colitur, nec panis cotidianus a DEO accipi, nec genus humanum propagari ab homine, fidei experte, posset. Deinceps non est confundenda divina dispositio, cum annexa promissione. Verba: *Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus*, dispositionem Servatoris aperiunt: Reliqua: *pro vobis datum, pro vobis effusus* in remissionem peccatorum, annexam dispositioni promissionem continent. Illa C. & S. C. veram presentiam, hæc presentium insignem utilitatem docent. Lutherus autem non simpliciter, sed habito ad illud: *pro vobis datum* &c. respectu, promissionem nominavit, idque in Catechismo etiam minore commonuit. Excipit (c.) *si vel maxime detur, inter bona Testamentaria, & bona inde oriunda esse discriminandum, fatendum tamen esse, quod Bona Testamentaria non sint ejusdem generis, sed alia necessariam, alia minus necessariam cum aeterna salute habeant connexionem.*

Posterioribus annumerandam esse manducationem oralem, cum multi aeternum damnandi ejusdem sint compotes. Resp. Manducatio Oralis non est bonum aliquod Testamentarium: hoc enim debet esse substantia; sed boni Testamento legati participatio. Itaque inter Nos & Reformatos non tam de manducationis organo, & utrum sit Oralis, an non Oralis, quam de manducationis Objecto, & utrum Christi Corpus & Sanguis, an vero corporis & sanguinis Virtus, reapse in Sacramento sumatur, disquiritur. Nec sufficit, quod manducatio spiritualis utrinque urgetur. Hæc enim non ad essentiam Sacramenti, sed convivæ sumpturi prærequisita, vel etiam finem & scopum illius, pertinet, qui tamen attingi per usurpationem Cœnæ, nisi præstructa firmataque prius illius integritate substantiali, non potest. Addo, disputari h. l. de Testamento Christi, & bonis in eodem legatis, adeoque de mediis salutis respectu Dei. Spiritualis autem manducatio, uti nihil est aliud quam ipsa fides, sic est medium bonis illis utendi respectu nostri. Quæ autem isthæc confusio est, Organon μεταδοτικόν transformare in ληπτικόν, & illud, quod est hominis, ingerere in illud, quod est DEI? Abstineamus ergo ab illa confusione, nec ante disputemus de sumptione spirituali, quam rei sumendæ præsentia, præsentisque vera & realis participatio, fuerit confirmata.

§. XXVIII. Monueram (II.) dogmati nostro inesse succum solatii, ex eoque, pro ipsius Parei judicio, intuli, illud esse fundamentale. Objecit Adversarius: *Succum solatii minime herere in manducatione Orali, utpote quam pii cum impiis habeant communem, qui tamen ex ea manducatione non modo nullum solatium, sed metum quoque & terrorem percipiant.* Respondi: (a.) Male inferri, quod Oralis manducatio ideo sit expers solatii, quia bonis & malis communis

nis fit, alioqui *DEO ipse*, Deique *Verbo* vim omnem in con-
 solando negandam esse. Deinceps (b.) ostendi, succum
 quidem solatii immediate non hærere in *manducatione Or-*
rali; hærere tamen in ipsa C. & S. C. *substantia*, cujus illi
 negent, præsentiam. Carnem enim Christi esse vivificantem
Job. VI. & sanguinem ejus repurgare nos ab omni pec-
 cato *i. Job. I, 7.* Cum utroque vero latentem in iis succum
 sumentibus propinari. Excipit: *Nos ipsos tamen docere, quod*
ille solatii succus a solis fidelibus, seu spiritualiter sumentibus,
eliciatur. Respondetur: Succus solatii hæret in ipsa C. &
 S. C. *substantia*, & elicitur, quod facile largior, *ore fidei:*
 at tum demum, ubi, mediantibus elementis, ipsa substan-
 tia fuerit manducando & bibendo recepta. *Ante igitur*
ponenda est materia celestis uti presentia, sic presentis Oralis
participatio, quam solatii succus per fidem ex ea eliciatur.
 Quod ipsum perspiciens *Beza* reprehendebat illum, qui
 substantialem C. C. in Cœna præsentiam simpliciter ne-
 gabat, monebatque subinde, ipsius nos corporis fieri de-
 bere participes, *ut postea demum ex ipso ad nos vis illa omnis,*
& efficacia vivifica defluat, in Epist. V. p. 45. Quod idem
 Calvinus docet in *I. ad Cor. XI, p. 240.* Ego, inquit, tunc nos
 demum participare Christi bonis agnosco, postquam Christum
 ipsum obtinemus. *Obtineri autem dico non tantum, quum*
pro nobis factum fuisse victimam credimus: sed dum in nobis
habitat, dum est unum nobiscum, dum ejus sumus membra ex
carne ejus, dum in unam denique vitam & substantiam, ut
ita loquar, cum ipso coalescimus. Quemadmodum enim so-
 latii succum, delitescentem in Verbo, nemo ante percipit
fide, quam verbum ipsum perceperit *aure,* cum fides sit
 ex auditu; sic nemo solatium in C. & S. C. repositum prius
 eliciet fide, quam ipsum Corpus & Sanguinem ad se rece-
 perit ore.

§. XXIX. Attuli, (III.) pugnare sententiam Adversarii cum Articulo de Communione Sanctorum. Quod cum negaret idem, & diceret, *controverti super manducatione Orali, ac Indignorum, quos ad Sanctorum numerum nemo relaturus esset*; monui contra, non super hac solum, sed ipsa quoque presentia controverti. Deinceps inter communionem Sanctorum internam & externam distingvi oportere. Posterioris ne indignos quidem expertes esse. Excipit in Hexade p. 192. *Non negari presentiam, sed manducationem Oralem. Neque etiam Oralem, sed spiritualem sumptionem Communionis Sanctorum in Symb. Apostolico contenta organon esse.* Sed respondetur: Reformatos credere veram & realem C. C. in C. presentiam mera & prope ridicula petitio est principii. Contrarium enim supra invictis ostendimus argumentis. Quod ad reliqua, utriusque generis manducatio, & *Oralis & Spiritualis Communionem Sanctorum* provehit: Illa quidem, ut *medium*: hæc ut *scopus*. Oralis autem hoc minus est contemnenda, quod ab eadem Spiritualis suo quodam modo dependet, ut in ipsa Dissertatione docuimus. Falsum igitur est, quod Strimesius scribit, *Communionem externam non esse Sanctorum, qua Sanctorum, sed quatenus ad Ecclesiam Catholicam pertineant.* Sancti enim & fideles eo quoque nomine sunt sancti, quod sunt visibilis, & externæ Ecclesiæ membra, nisi quis reprehendere velit Apostolum, qui sanctitatem Romanorum, Corinthiorum, aliorumque etiam a vocatione, per verbum & sacramenta, derivat. *Rom. 1, 7. 2. Cor. 1, 1. Eph. 1, 1. 2. Tim. 1, 9.*

§. XXX. Attuli (IV.) quod, qui non recte discernat Corpus Domini, iudicium sibi edat, & bibat, discretionem autem supponere intemeratam doctrinam: Hanc igitur corrumpi, hoc quoque in articulo, citra divini iudicii pericu-

riculum non posse. *Objecit: Hoc non ita debere accipi, quasi minimus etiam hoc in articulo error v. c. de manducatione Indignorum, discretionem impediatur.* Respondi: Errorem de manducatione Indignorum levem non esse, cum aliis, tum hac præcipue de causa, quod per eundem virtualiter ipsa C. & S. C. vera & substantialis præsentia tollatur. *Excipit: hoc pacto me proderet, quod disputatio de manducatione Orali nullius plane momenti sit, nisi questio immisceatur de ipsa præsentia.* Resp. Parum abest, quin acuram tetigerit Adversarius. Nec enim pro manducatione orali ideo tantummodo propugnamus, quia *oralis* est, sed quia simul *Vere-Sacramentalis* est, mysterique hujus integritatem, veramque ac substantialem præsentiam, collocat in tuto, & asserit. Quod vel hoc uno patet indicio, quod omnes, quotquot hanc Orale[m] & Indignorum manducationem admittunt, ipsam quoque C. & S. C. præsentiam vere, & ingenue, *ingenue* inquam, credunt, cum contra, quotquot eam impugnant, veram quoque præsentiam vel aperte negent, vel in imaginariam, & mere intentionalem transmutent. At vero, qui hoc faciunt, hi cibum, qui exhibetur in Cæna Domini, non juxta effectum filii DEI discernunt, & judicant, quod nimirum sit Corpus Domini. Eo igitur ipso gravissime peccant, & manducant sibi judicium. Quod, ne fiat, de Indignorum quoque & Orali manducatione pia & salutaris est proponenda doctrina.

§. XXXI. Monueram (V.) postremo, nullo non tempore cum Irenæo credidisse Ecclesiam, quod Eucharistia constet duabus rebus, terrena & cœlesti, quæ posterior tamen per Reformatorum hypothesin tollatur. Obvertit Adversarius: *Nunquam non Reformatos credidisse illud, falsosque esse in Synodo Sendomiriensi, & etiamnum facti,*

teri. Semper enim eos existimasse, in S. C. signum & signatum, terrestre & caeleste adesse, & sub specie panis & vini distribui juxta & sumi, quemadmodum Calvinus docuerit. Respondi: Calvinum nullum aliud signum intellexisse, quam mere significativum: nullum aliud signatum, quam Caelo inclusum: nullam aliam presentiam, quam intentionalem atque imaginariam. Si proinde Reformati, (quod ex Adversarii dictis appareat,) doctrinam teneant Calvini sententiæ conformem, non esse, cur idem se confiteri cum Irenæo, & credere contendant, qui a Calvini & omnium Reformatorum opinione hoc in capite multum dissentiat. Quod ipsum & pluribus Irenæi verbis, & elicitis inde rationibus demonstravi.

§. XXXII. Instat Strimesius, & ignorati me status questionis, familiari sibi effugio, postulat, cum inter nos non disputetur, quot rebus Eucharistia constet, sed numne Oralis, & Indignorum manducatio ad salutem sit necessaria. At vero non de his tantum, quod perpetuo crepat Strimesius, sed de ipsa vera, & substantiali, utut illocali, prorsusque divina, presentia C. & S. C. inter nos disputari in ipsa Dissert. prima, hujusque Vindic. Diff. I. argumentis, & testimoniis adeo firmis, adeo claris, perspicuisque ostendi, ut omnem eum pudorem decoxisse oporteat, qui hoc per calumniam Reformati tribui arbitretur. Itaque mihi per Adversarii Observationes eunti notatum fuit, quod, ubi nervoso quodam argumento confringi se premique intelligit, tum vel ad convitia & injurias, vel ad accusationem ignorati elenchi confugiat. Quod idem hic deprehendo. Addit igitur, (a.) me priorem ignoracionem elenchi duabus aliis cumulasse, quarum una a subjecto questionis, altera a prædicato aberret. A subjecto quidem, quia in

Jocum Reformatorum surrogarim Calvinum, perinde ac si Calvinus & Reformati essent Synonyma.

§. XXXIII. Observemus autem h. l. insigne quoddam cavillationis Strimesianæ exemplum. Ipse ostensus Reformatorum cum Irenæo consensum, ad *Calvini* sese auctoritatem receperat. Ubi vero pugnare hunc cum Irenæo, & multis ab eo rationibus recedere demonstrato, ignorati me status quæstionis, & tantum non illatae injuriæ postulat, qui pro Reformati substituerim Calvinum, perinde ac si Calvinus & Reformati essent Synonyma. Annon vero ipse Strimesius, nescio quem nobiscum probaturus consensum, ad Calvinum testimonium provocavit? Annon Eum eadem nobiscum formula de hoc mysterio usum scripsit? Quod si t. t. e Strimesio quæsilissem, putaretne, Calvinum & Reformatos esse Synonyma? num id probaturus fuisset effugium? Ostendendum vero Adversario erat, quod Reformati hoc in capite dissentiant a Calvino. Hic enim nullum aliud *signum* intelligit, quam vere significativum: nullum aliud *signatum*, quam Cælo inclusum: nullam aliam *presentiam*, quam intentionalem atque imaginariam, nullam denique aliam *manducationem*, quam spiritualem, quod quidem in *Dissert. §. IV.* propriis illius verbis ostendi. Num vero his in capitibus a Calvino dissentiunt Reformati? Annon *Thoruniensis*, ad quam Strimesius provocavit, Confessio, *Unionem C. & S. C. cum elementis simpliciter negat*, eoque ipso *signa mere significativa* statuit? Annon *Harm. Confess. Observ. I. ad A. C. Sect. 14. ibi, ubi signum adest, signatum adesse negat*? Annon *Strimesius* Christi corpus *tantum in cælo*, (ubi tamen non dispensatur Cœna.) *adesse* scribit in *Hex. Obs. p. 196.* Numne aliam C. C. quam *mere spirituales* manducationem admittit? Nonne *Mu-*

sculus, Calvinus, Altingius, Sedanenses, Braunius, Heidanus, Pictetus, Gauterius Corpus & S. C. vere & realiter in S. C. adesse, liquidis conceptisque verbis infitiantur? Calvinus igitur, & Reformati omnes, hactenus ad opprimendam veritatem, & speciatim Irenæi sententiam conspirant.

§. XXXIV. Notemus autem porro specimen imprudentiæ in *Strimesio*, qui mecum expostulat, quod *Calvini* sententiam tribuerim Reformatis: & tamen contendit, *Calvini sententiam cum Irenæi sententia non pugnare, idque partim auctoritate Forbesii, & Fabricii, partim distinctio- ne inter præsentiam C. C. in Cœna spiritualem & Corporalem, seu localem, ostendere conatur.* Atqui si Irenæus, quod nemini dubium, recte sensit, Calvinus autem cum eodem consensit, numme injuria est, utriusque sententiam omnibus Reformatis adscribere? Sed, si dicendum, quod res est, plurimum falluntur, quotquot *Irenæum cum Calvino fecisse* ajunt, nec id unquam sufficienter probavit *Fabricius*, qui hoc saltem in capite, non magis dici meretur Theologus *Lutheranus*, quam *Forbesius*, Sam. Andreae de Papismo suspectus, Theologus *Reformatus*. Irenæus enim Evcharistiam duabus rebus constare, & a corporibus nostris percipi docet. Percipitur autem Evcharistia tota: percipitur in terris (in his enim dispensatur, non cœlis;) Ergo & corpus percipitur in terris, & cum perceptio supponat præsentiam, adest quoque in terris. Calvinus contra in I. ad Cor. XI. f. 24o. carnem Christi longe a nobis distare, nec misceri nobiscum; In *Institut.* autem p. 89o. Christum corpore a nobis abesse manifeste scribit. Quomodo igitur Calvinus cum Irenæo consenserit? Neque etiam hoc probat præpostere applicata distinctio præsentiae in spiritualem & corporalem, seu localem. Etsi enim Irenæus nec corporalem, nec localem credidit, quoad modum, perinde

perinde ut Lutherani, quibus hoc non nisi per manifestam calumniam a Reformatis tribuitur; credidit tamen Christum *adesse corpore*, credidit *adesse in loco*, quia scribit *corpora nostra percipere* Evcharistiam, non *solo pane*, sed *duabus rebus* constantem. Cum utris igitur faciat Irenaeus, Lutheranis, an Reformatis, bonis & cordatis viris iudicandum relinquo.

§. XXXV. Nec tamen hic substitit Strimesii accusatio; sed me ignorati elenchi, etiam qua *Predicatum*, infirmulat, dum *multa ex Irenaeo attulerim*, nec ad *questionem de Orali & Indignorum manducatione facientia*, nec *unquam a Reformatis in dubium vocata*. Neque vero diffiteor, Irenaei verba me paulo plenius adduxisse. Sed hoc eo consilio feci, quo de mente illius, & sententia, tanto certius accuratiusque constaret. Disputat enim adversus *Valentinianos*, resurrectionem corporum negantes, & tamen S. *Cæna* utentes. Horum repulsurus errorem gemino *analogismo* utitur, quem quidem in Dissertatione proposui. Verba ipsa, ut repetam, ita se habent: *Quemadmodum, qui est a terra panis, percipiens vocationem DEI, jam non communis panis est, sed Evcharistia, ex duabus rebus constans, terrena & caelesti; sic & corpora nostra percipientia Evcharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Vide *Lib. IV. c. 34. f. 264.* & compara *L. V. c. 4. f. 318. edit. Galaf.* In his autem perspicue docet (1.) Evcharistiam duabus rebus constare. (2.) Rem caelestem cum terrena verissime, utut supernaturaliter, uniri. (3.) Per, & propter hanc unionem, panem de terra sumptum esse Evcharistiam. (4.) Non animos solum, sed corpora quoque ipsa Evcharistiam percipere, & (5.) propter hanc perceptionem spem resurrectionis habere, cum absurdum sit, corpore suo velle manducare & bibere, corpus & sanguinem Christi vivificum,

vivificum, & tamen spem resurrectionis negare. Quibus sic constitutis intuli, Irenæum omnino credidisse Carnis Christi, cum pane unionem, quia eundem illum panem, post acceptam vocationem, dicit esse *Evcharistiam*; credidisse C. & S. C. *presentiam*, quia *Evcharistia* in terris administrandæ duas partes constituentes assignat; credidisse denique *oralem manducationem*, quia & diserte scribit, corpora nostra percipere *Evcharistiam*: & si ad figuras & tropos recurrere cum Reformatis velimus, omnis argumento incidetur nervus, excepturis perpetuo Valentiniæ, a manducatione *spirituali*, ad resurrectionem *corporalem*, a nutritione *animæ* per fidem, ad immortalitatem *corporis* non oportere concludi. Num quid rogo, in his, vel ab Irenæi mente, vel etiam controversiæ statu alienum dixi? Et tamen ad rem, de qua queritur, nullo modo pertinentia, & præterea Reformatis itidem plenissime admissa, me attulisse scribit. Quam vere, iudicent omnes, quotquot sanæ mentis sunt compotes. Ad-
dit interim: *Aliud esse corpora fidelium Evcharistiam percipientia, non corruptibilia esse, vel in morte mansura, sed spem resurrectionis habere; aliud, corpora nostra corruptibilia, Corpore & sanguine Christi incorruptibilibus nutriri, & ali, & hoc pacto incorruptibilia fieri.*

§. XXXVI. Respondetur autem ad primum negando, ex mente Irenæi aliud esse, corpora fidelium *Evcharistiam percipere*, & aliud, ore corporis *Corpus Christi manducare*. Nec enim vel inter perceptionem *Corporum*, & perceptionem *ore corporis*, vel inter perceptionem *fidelium*, & *infidelium*, vel denique inter perceptionem *Evcharistia*, & *Corporis Christi*, Irenæus distinxit. Non (a.) inter perceptionem *corporum*, & perceptionem *ore corporis*: quia loquitur de perceptione *per manducationem*. Quandoquæ autem

tem per manducationem rem esculentam percipiunt corpora, etiam sine commentario liquet, per os corporis id fieri oportere. Non (b.) inter perceptionem fidelium, & infidelium, quia istis omnibus perceptionem Eucharistiæ per manducationem relinquit, ad quos pertinet spes resurrectionis, a qua tamen ne pessimi quidem homines sunt exclusi. Unde & perceptionem Eucharistiæ ipsis Valentinianis clare tribuit Irenæus. Non denique (c.) inter perceptionem Eucharistiæ, & Corporis Christi, quia, ut Eucharistia duabus rebus terrena, & celesti, constat; sic nobilissimum illius constituens, ipsum nempe Christi corpus, ab illius perceptione excludi nequit. Quæ omnia cum nihilominus negent, ac infitentur Reformati, patet nunc, quo jure, quaque veritatis specie a Strimesio sentire cum Irenæo dicantur.

§. XXXVII. Quod ad alterum, facile largior, aliud esse, Corpora fidelium Eucharistiam percipientia, non corruptibilia esse: aliud, corpora nostra corruptibilia corpore & S. C. incorruptibilibus nutriri, & ali, & hoc pacto incorruptibilia fieri. Nunquam etiam hæc duo, quod meminerim, confundi. Nec disputo, quænam genuina sit causa incorruptibilitatis Corporum nostrorum, quam, tutius saltem, a manducatione Sacramentali, cum Irenæo, quam spirituali, cum Strimesio derivaris, quoniam alias solorum piorum corpora futura essent incorruptibilia: Hoc unum nunc urgeo, Lugdunensem incorruptibilitatem Corporum nostrorum a manducatione, & usu Carnis Christi vivificæ manifesto deducere, eumque in Veterum lectione parum versatum esse oportet, qui hoc resurrectionis argumentum in iisdem non observavit. Sic enim Irenæus concludit: *Quæ caro nutritur immortalis corpore, & incorruptibili sanguine Jesu Christi, & pro tempore accipit in Eucharistia percipientis*

gnus

gnus ad *Sauoras*, eam oportet aliquando resurgere. Atqui no-
stra Caro. E. Quo ipso denuo patet, Irenæum non idem,
quod Reformati, de Cœna Domini sensisse. Qui enim ex
perceptione C. C. vivifici incorruptibilitatem Corporum
potuisset inferre, si eandem illam perceptionem ore cor-
poris fieri cum Reformatis negasset? Dico igitur, repe-
toque sententiam, Reformatos Oralem C. & S. C. sumptio-
nem negando, ipsammet remove præsentiam, nec
duas Evcharistiæ partes revera cum Irenæo statuere,
eoque ipso medium fidei confirmandæ, & recuperandæ
salutis labefactare.

§. XXXVIII. Satis opinor constat, Articulum de
Cœna omnino fundamentalem esse, Strimesiumque il-
lud negantem & *sibi, & Sociis, & Scripture, & ipsi denique*
analogia fidei contradixisse. Quoniam vero is nihilominus
vanum me promissorem dixit, quod omnia in fidei analo-
giam peccata ad *quinarium* numerum revocarim, tem-
perare mihi non possum, quin aliorum quoque afferen-
do sententias duplicem illum, atque adaugeam. Sic autem
Hildesenses in Conf. fid. de Evchar. Magd. anno 1557. L. N. 2. Si
ita conculcare, lotioque aspergere Sacramenta fas est, - - pe-
riit nobis Christus, perit sapientia, salus & Vita nostra, perit
Ministerium verbi & Sacramentorum, vana est fides, que jam
ratione, non verbo DEI regenda sit, perit spes futura resur-
rectionis &c. Quæ si quis cum iis, quæ sub initium hujus
Dissert. dedimus, comparaverit, eum me ab omni vani-
tate in promittendo absolururum spero. Nil igitur eam
in rem addo, quam ut ad testimonia Cl. Virorum, *Calixti*
nempe, Pufendorfi, & Hülsemanni (his enim solis, ratio-
num inops innititur,) paucis respondeam.

§. XXXIX. Quantum vero his tribui debeat, hinc
generatim liquet, quod ex iisdem primum suspectum est,
alterum

alterum Politici, tertium manifesto detortum. *Calixti* me testimonium rejecisse Strimesius improbat, qui moderationem ejus laudat, auctoritatemque extollit. Ego vero ut dotes Viri eximias, minimeque paucas, excellens nempe ingenium, acre judicium, pertinacem industriam, lectionem multam & variam, modum docendi ordinatum ac facilem, genus scribendi elegans, modestum, perspicuum, & prorsus dissimile Strimesiano, admiror; sic instituta ejus & placita probare omnia, & laudare non possum. Annon enim, ipsomet fatente Strimesio Pontificios quoque, *salvo licet Concilio Tridentino*, in societatem Ecclesiae advocavit? Annon cum professis Ecclesiae hostibus collusit? Annon quosdam ad deserendam heresim induxit? Et vero si omnes illius sunt approbandae sententiae, cur, *ubi Reformatos veram docere praesentiam negat, creditamque ab illis intentionalem & notionalem praesentiam rejicit*, ab iisdem deseritur? Annon locis a me allegatis Reformatorum de Coena sententiam, ceu *Christiane doctrinae exitiabilem, & nulla non mysteria evasuram* describit. Annon in *Dissert. de Coena*, anno sup. Sec. XXXVI. habita §. 32. Calvinianorum doctrinam *nuda symbola absentis C. C. relinquere, eandemque Anabaptisticam esse, & horrenda blasphemiae plenam*, statuit? Quae cum ita se habeant, concludo, Articulum de Coena, ipsius quoque Calixti iudicio, esse fundamentalem.

§. XL. *Pufendorsum* praeter rem adductum esse monui, eaque in sententia, quicquid etiam contradixerit Adversarius, persisto. Non enim hic quaeritur, quanti momenti esse intercedentem inter Nos & Reformatos de Coena controversiam judicabit; sed num *totum de illa Articulum fundamentalem esse negaverit*? Quod omnino infitior, & propriis ipsius verbis ostendo, qui hunc Articulu-

ticulum *Systemati suo* §. 57. inseruit, quo tamen NB. *omnes fidei Articulos ad salutem necessarios se esse complexum* §. 60. p. 210. ipse fatetur. Nec ab hac me sententia dimovent, illa, quæ *Strimesius* epag. 213. attulit, verba. Cur enim immediate præcedentia omisit, ubi Pufendorfius ait: *Observatum fuit, dum circa Art. de S. C. humana rationi frena nimium laxata sunt, alia quoque mysteria religionis Christiana fuisse sollicitata, sic ut NB. graduatim Socinismus demum prognatus sit.* Pervasum, fateor, Illustri Viro fuit, non de ipsa præsentia, sed modo præsentia inter nos disputari, id quod verbis p. 208. 225. 233. insinuat. Interim negari non potest, ipsammet eum præsentiam C. & S. C. & ad substantiam Sacramenti, & fundamentum fidei omnino revocasse. Itaque, etiamsi Disputationem de modo in medio reliquit, tamen, ut vera & realis doceatur præsentia, omnino necessarium judicavit. Hinc p. 208. *questio*, ait, de modo præsentia superest, qui in medio relinqui posse videtur, dummodo simpliciter credatur, in eo Sacramento revera nobis dari Corpus & Sanguinem Christi, & a nobis accipi, edique ac bibi. Et p. 225. *Controversia de Cæna*, quatenus circa modum præsentia versatur, fere plus curiositatis, quam fructus habet, NB. dummodo super ipsa Sacramenti substantia, ejusque fine & usu consentiatur. Quæ omnia luculenter ostendunt, quod Vir summus illam de Cæna controversiam tolerabilem quidem crediderit, sed cum exceptione doctrine de vera & reali C. & S. C. præsentia, quam, quia Reformatos non credere invictis supra testimoniis argumentisque probatum est, liquet, ipsius quoque Pufendorfi opinione & Articulum totum, & controversiam de illo agitatam, inter nos & Reformatos esse fundamentalem.

§. XLI. *Hulsemannum* minime omnium cum Ad-
 versario facere, hinc ejusdem argumenti loca compa-
 rando, hinc adductum a Strimesio vindicando in *Dissert.*
 §. XXII. ostendi. Noster antiquum suum obtinet, i.e. ubi
 respondere non potest, ad scommata & contumelias
 confugit. Scribit igitur: *Vel contra omnem sensum me*
enuntiare, quod Hulsemannus de solis Auditoribus, & Laicis,
non autem Doctoribus inter Reformatos locutus sit. ἄλογον
enim, & acumine Hulsemanniano indignum esse, de Reforma-
torum doctrina judicium ferre, nec tamen Doctores eorum
subinnuere. Quod posterius, si verum est, Bergius ipse
ἄλογος fuerit, & brutus, qui in verbis, quæ ex illius li-
 bello *vom Unterschied und Bergleß* p. 264. attuli, de
 doctrina Pontificiorum judicaturus, inter *doctiores*, & *se-*
mpliciores distinxit. Id vero inter *ἄλογα* & parum pruden-
 ter scripta recte retulerim, quod Hulsemannum pro se
 allegat, quasi Artic. de Cœna pro non-fundamentali
 habuerit, quum tamen in illa ipsa *Disp. de dogm. ad sal.*
cognitu necess. §. 78. p. 524. in Zanchium, & Palatinos hoc
 ipsum perpendentes invecus sit. Quod enim in vindi-
 cando illius testimonio nihil ab ejus sententia alienum
 attulerim, vel ipsa summi Viri verba docebunt, quæ re-
 peto: *Queritur*, inquit §. XVI. p. 437. *an qui ita doctus*
sit (nempe verborum institutionis eum sensum non
 esse, ut corporalis ejus præsentia inde adstrui possit,
 vel debeat) *nec secus sentientes damnet, semet vero ab in-*
formatione non subtrahat, salutarem in Christi meritum fi-
duciam collocare non possit, propterea, quod verba Cœnæ non
intelligenda esse censet, prouti jacent? Quod erret, dubi-
 um nullum est; an exitialiter erret, maximum. Hic ad
 cujusvis sani hominis judicium provoco, annon de in-
 doctis, vel potius *seductis* & auditoribus: annon de in-
 for-



formandi ac meliora *discendi cupidis*: annon de *mitioribus*, & ab aliorum damnatione sibi temperantibus loquatur? Et tamen contra omnem id sensum me enuntiasse importunissimus Hexadarius scribit. Concludo, Hulsemannum non tam de *errore ipso*, hujusque momento, quam de *errantibus*, eorundemque majore vel minore in salvando periculo, disputasse, ipsum vero de Cœna Articulum inter fundamentales perpetuo retulisse.

§. XLII. Postremo ad *Lutheri* quoque testimonium provocavit, quem ut multis defendam, cum tot pro eodem scripta loquantur, supervacaneum arbitror. Perpetuum enim ei bellum fuisse cum *Carolo studio*, *Zwinglio*, & horum sociis, quotquot doctrinam de Cœna corrumpere sunt conati, est in propatulo, hujusque adeo gratia nec inimicitias, nec labores, nec pericula recusavit. Quare si quis eum hunc Articulum in levibus & nullius momenti capitibus habuisse putat, hunc vel studio cavillari, vel rerum omnium ignarum esse oportet. Strimesius tamen, ut suis pro erroribus nihil non audeat, sic hujus quoque, at quanti Viri! auctoritatem pro se adduxit, citando ejus *ad Ernestum Brunsvic.* epistolam, in qua simul ac Bucerus Christum *anima presentem* esse admiserit, nihil opus esse ampliore certamine sit passus. Ceterum nemo non, inspecta Epistola, mecum mirabitur, ausum esse Adversarium ad illam se recipere Epistolam, quæ totam hanc Reformatorum causam concutit vehementer ac premit. Negat enim in eadem Lutherus, redire se posse in gratiam cum Zwinglio, antequam errorem suum de Cœna missum fecerit: Negat, Zwinglianis veram & realem dispensari Coenam, cum præter panem ac vinum nil habeant: Negat de verbis tantum, non autem rebus litigari, quod sentiebat Bucerus.

rus. Hoc unum addit, quoniam Bucerus admittat, Christum anime in S. C. presentem esse; sperare sese, mox etiam admitturum, quod Corpori sit presentis. Qua de causa consultius putabat precibus, quam contentionibus rem agere, & dissidentes in viam revocare. Quis non videat hanc Epistolam totam Adversarii causam dejicere? Excipit nihilominus (I.) Testimonium Lutheri tanto praestantius esse, & efficacius, quanto magis ab irascente Zwingliano Lutero profectum sit. Quasi vero, quo tempore de Bucero & focis bene speravit Lutherus, iisdem magnopere fuerit iratus. Addit: Lutheri iram non adeo versam fuisse in Oralis manducationis negationem Zwinglianam, quam in hypotesin, per iram, Zwingliano imputatam, ab his vero factam nunquam, quasi in S. C. nil nisi panis & vinum habeatur. Atqui non per iram, sed veritatis conscientiam, id Zwingliano exprobravit Lutherus, quod praeter panem & vinum nil habeant. Hoc enim & ex illorum hypothesi, de Christi corpore nullibi, quam in caelis, presente necessario fluit, & Zwinglius in Resp. ad Conf. Luth. sponte fassus est, cum scribit: Quod ad rei substantiam, ve essentiam attinet, NB. praeter panem & vinum non adest quidquam, allegante Höpfero Diss. I. de Eucharistia ib. 35. Lips. anno 1643. Ut adeo Lutheri quoque testimonium, perinde ut reliquorum, praeter rem adductum, & manifesto detortum esse videatur.

§. XLIII. Et hæc quidem Dissertationis meae de dissensu inter Nos & Reformatos in Art. de Cena fundamentali, Vindicie sunt. Te autem nunc compello, doctissime Strimesis, atque, ut in Te ipsum descendas, & uter nostrum meliorem causam defenderit, dispicias, adhortor. Nec enim, Te adeo stupidum esse crediderim, quin assequi iudicio possis: Quod verbis Testamenti Christi presse, diligenter que sit inhaerendum: Quod media salutis negligi, aut per

doctrinam corrumpi, sine salutis dispendio non possint: quod Christus Corporis & sanguinis sui veram propriamque praesentiam promiserit, quod horum etiam praesentia sit divina, quodque haec ipsa sunt e adias acta concipi nequeat: quod fides rem praesentem apprehendat, non faciat, & digne usuri praerequisitum sit, non Sacramenti ipsius constitutiva pars: quod aliud sit Sacramentum, aliud fides, nec medium μεταδοτικόν, respectu DEI, transformari debeat in ληπτικόν, respectu nostri. Quod naturalis elementorum per os corporis, & mere spiritualis rerum caelestium per os fidei, participatio, nec divisim, nec conjunctim, Sacramentalem manducationem absolvat: Quod praesentia C. & S. C. a nulla hominum conditione, sed DEI instituentis voluntate, dependeat: Quod qui veram realemque C. & S. C. praesentiam negant, substantiam Sacramenti, & nucleum tollant, aliaque id genus, de quibus in Dissertatione tanta moderatione sermonis, & animi disputavi, ut ipsorum quoque Reformatorum laudem abstulerim. Vix enim proderat illa, cum Celeberrimi apud illos nominis Theologus, ad quandam mihi Amicum ita scriberet: In Dissertatione illa de Cena multa sunt quae laudem, maxime moderationem & animi, & styli, qua Celeberr. Auctor praeteritorum temporum austeritatem, citra controversiam, laudabiliter emollivit, exemplum daturus posteris imitandum &c. Tu vero, quod omnes vident, non modo planae ac dilucidae Veritati subinde es oblocutus, sed omnis quoque in scribendo modestia oblitus. Ubi enim Reformatos Doctores aliud sentire, aliud loqui doceo, laedi Te putas, & mecum de injuria toti Reformatorum coetui illata expositulas: Tu vero ubi Lutheranos omnes σαπροφάγας, & αἰματωποσίας, adeoque rei, tuo ipsius iudicio, DEO & hominibus abominabilis accusas, etiam Forbesius ipse calumniam appellat, jure tamen istud

istud meritoque te facere arbitraris. Me ipsum tuis in observationibus adeo superbe & contemptim tractasti, ut maximopere optem, te vel *plus soliditatis* in respondendo, vel *minus petulantiae* ostendisse. Nunc terra mihi & invidiosa, nunc *insulsa*, & *arroya*, nunc calumnias, clamores & blasphemias tribuis. Et quod omnium indignissimum est, p. 178. scribis: *me non tam disputasse serio, quam Respondentem meum instituisse voluisse, quo pacto Veritati etiam clarissime quandoque obstrepere, quorve contradictionis velo eandem involvere atque obducere huud adeo multum verecundandum sit, si quando id ex usu hyporheseos advertatur futurum.* Quo ipso me & hypocritam agere, & studiosæ juventuti imponere, & aliis imponendi auctorem esse, vix ferenda mihi calumnia, spargis in vulgus. Sed hoc Tibi, ne quid diffimulem, familiare esse intelligo, ut, quando respondere non potes, ad scommata te recipias, & *argumentorum lacunas convitiis, & contumeliis expleas.* Quapropter, si tam in *adveniendis rationibus acutus*, quam in *jaciendis convitiis* promptus esses, næ me Tibi plurimum cedere, ultro faterer. Nunc, ubi non *causa*, nec *causæ defensione*, sed sola criminandi libidine es superior, facile illam Tibi victoriam relinquo, quam cum abjectissimo quoque & vilissimo homine communem habes. Mihi ad consolandum animum satis est, quod *bonam causam non male*, ut opinor, defendi, eandemque non minore *modestia*, quam *veritatis studio*, propugnavi. Facile autem intelligo, Te non magis cessurum esse *veritati Lutheri*, quam ego cessurus sum *erroribus Calvinii*. Quapropter tuas Tibi deinceps habeto res. Scribe, disputa, declama, donec horum Te fatietas capiat, per me licebit. Non est, quod deinceps aliquid responsi a me expectes. Nec enim tantum

tum mihi vel *otii*, vel *patientia* supereſt, tuis ut diſcui-
tiendis operam poſſim impendere, quæ *intelligere*, quam
refellere, ſemper difficilius iudicavi. Adhæc argumen-
torum tam curtam Tibi ſupelleſtilem eſſe intelligo,
ut præter obſoleta, & dudum protrita, & vel centies a
Noſtris conſutata, vix quidquam ſolidi in reſeſſu habe-
re videaris. Uter igitur noſtrum cauſam ſuam melius
egerit, cordati, doctique Viri, etiam Reformatos inter,
(nam ne horum quidem arbitrium reuſo,) e verbo DEI
dijudicent. Ego, cum majoris mihi momenti agenda
reſtent, nec abs Te quidquam præter ſcommata &
aculeos, manifeſtasque detorſiones expectem, nullum
deinceps ſuper hac re verbulum commutabo tecum,

ſed memor ero illius, quod bene & ſapienter monet
Apoſtolus: *Hereticum hominem, poſt unam & alte-*

ram, admonitionem, evita!

Vale!



Th. 1379

ULB Halle 3
002 422 239



VD18

56,

M. C.





25

I. N. 7!

VINDICIARVM

SENTENTIÆ ORTHODOXÆ:

QVOD DISSENSVS INTER SOCIOS
A. C. ET REFORMATOS IN ART.

DE COENA

SIT FUNDAMENTALIS,

DISPUTATIO POSTERIOR,

QUAM AUSPICIIS,

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQUE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECT. SAXON. HEREDIS, ETC. ETC. ETC.

PRÆSIDE

GOTTLIEB WERNSDORFIO,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. nec non Alumnorum
Elector. Ephoro,

E CATHEDRA DIVI LUTHERI,

D. XXIII. DECEMB. clō 15cc VI.

DEFENDET

M. ANDREAS **DOCKE**

NUMBURGENSIS.

WITTEMBERGÆ, LITERIS GERDESIANIS.

